

unde videtur tenuem sustentabat. Synodus vero Nicaena secunda can. 15. pauperibus Clericis exemplum proponit Pauli Apostoli, ut ejus imitatione vitam propriis manibus operando tueri non vereantur. Admodum notabile est quod duabus epistolis scribunt Agathon Romanus Pontifex, & Romanum Concilium ad Imperatorem Constantinum cognomento Pognatum, suos ei commendantes ad sextam Synodum Legatos; se enim primum excusant, quod cum cupivissent peritiores & eloquentiores mittere pro tanti officii dignitate Legatos; ideoque ex ultima Britannia Clericum his ornatum dotibus accipissent, iste tamen adventare non potuit, nec alius reperiri Clericus insigniter doctus, ex quo direptis & vastatis per Longobardos Ecclesiis, tam hi qui mittuntur Legati, quam ceteri Clerici non valuerunt studijs litterarum incumbere, necessitate adacti ad continuum manuum laborem, quo vitae possent necessitates subvenire. Denique Aquilejense Concilium, cui Ambrosius Mediolanensis Antistes interfuit, pauperiem dicit esse in Sacerdotibus gloriosam. Verum ad hoc summi gloriae non fuit ambitiosi nostrorum temporum Clerici vel Monachi.

Can. LX. Clericum scurrilem & verbis turpibus jocularem ab officio esse retrahendum.

Citatur dist. 46. cap. Clericum scurrilem. Stultitiorum & scurrilitatem damnat Apostolus Ephes. 5. v. 4. Praclare admonet Bernardus: Nuge in oratorum nuge sunt, in ore Clericorum blasphemia. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus aperire non licet.

Ambrosius audiendus lib. 1. officiorum cap. 23. Licet interduum honesta joca & levia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula: Ne vobis qui rideatis, quia flebitis, ait Dominus; non solum profanos, sed omnes jocos declinandos arbitror: Plenum tamen suavitatis & gratiae sermonem esse, non indecorum.

17. Can. LXVIII. Ex penitentibus Clericus, quamvis sit bonus, non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum sit, deponatur a Clero, quia ordinationis tempore non prodidit se fuisse penitentem.

Similiter Siricius Papa in epist. ad Himerium Episcopum Tarracensem c. 14. Illud quoque par fuit nos providere, ut sicut penitentiam agere non conceditur Clericorum cuiquam, ita post penitentiam & reconciliationem nulli unquam liceat laicorum Clericatus honorem adipisci. Causa utrobique est decor ac veneratio Clericali status, utque Clericus sit juxta Paulum inconfutibilis & irreprehensibilis. Similiter Leo Papa epist. 92. inquisit. 2. Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in gradu Diaconi fuerint consecrati, hi pro aliquo crimine suo per manus impositionem remedium accipiant penitendi. Quod proculdubio ex Apostolica traditione descendit, secundum id quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujusmodi lapsus, ad promerendum misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si digna fuerit, sit etiam fructuosa. His suffragatur Origen. lib. 2. cont. Celsum, dicens, eum, qui penitentiam obivisset, arceri in perpetuum a sacris Ordinibus, aut eorum exercitio. Adstipulantur pariter Optatus Milevitanus in fin. lib. 2. Multis (inquit) notum est, & probatum, persecutionis tempore aliquos Episcopos inertia a confessione DEI delapsos thurificasse: & tamen nullus eorum, qui evaserunt, aut manus lapsi imposuit, aut ut genua figerent, imperavit. Similiter Aug. lib. 1. de Baptismo cont. Donat. cap. 1. ait: Ordinatis cum ad Ecclesiam ex schismate redeunt, non imponitur manus inter laicos. Sed Conc. Carthagin. V. can. 11. sic decernit: Idem confirmatum est, ut si aliquando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint qua eos a ministerio necesse fuerit removere, non eis manus tanquam penitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur. Ceterum publice penitentia loco Clericus delicti reus in Monasterium relegatur, aut ad privatam secessionem, ut docent Leo Magnus loco cit. & Hieronymus epist. 48. ad Sabianum Diaconum lapsum, & Concilium Aurelian. III. can. 4.

18. Canones autem, quibus penitentia lapsi Clericis injungebatur, ut est Arausicensis primi Concilii can. 4. dicens: Penitentiam desiderantibus etiam Clericis non negandam, quidam exponunt de penitentia privata, alii etiam de publica, non judiciaria illa quidem, sed spontanea, qua contingere quoque absque gravi delicto queat. De qua etiam loquitur Concilium Toletan. IV. can. 53. quaeque ipsis laicis, quominus postea ad sacros Ordines promoveri possint, non officit, ut ibidem derogetur. Ita noster Joann. Morinus oppositos qui videntur canones exponit lib. 2. de exercit. Eccles. c. 23.

Veruntamen Cypriani epist. 59. ad Fidum Episcopum exponit adversus Terapium Episcopum, eo quod videtur Presbyterum, qui graviter deliquerat, ausus fuerat reconciliare, eique pacem dare praeproperam nimis festinatione, antequam plenam consummasset penitentiam; illa inquam Cypriani epistola ad Fidum perspicue loquitur de publica & judiciaria penitentia, nec potest de privata tantumque spontanea exponi; Potius igitur crediderim, prohibitionem de non admittendis ad publicam penitentiam sacris Clericis, neque semper, neque ubique regionum Catholicarum viguisse, sed pro temporum ac locorum diversitate usum fuisse diversum; quemadmodum superius perspeximus in jejunii Sabbathorum, aliique disciplinae officii & usibus. Concilii quoque Toletani XIII. can. 10. etiam Pontifices & Sacerdotes publicam penitentiam suscipere posse, salvo gradu & ordine decernit, dummodo nulla se mortalis criminis professione notaverint; susceptaque per Metropolitanum reconciliatione, ad praefata redire Ordinum suorum officia permittuntur.

19. Can. LXIX. Simili sententia subiacet Episcopus, si sciens ordinaverit Clericum, eum, qui viduam, aut repudiatam uxorem habuit, aut secundam.

Huc spectat Apostolorum can. 18. insertus apud Gratianum c. si quis viduam, dist. 34. Concilii quoque Agathensis can. 1.

Can. LXXIV. Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, sive Clericus, sive laicus, excommunicatur.

Cap. qui communicaverit, II. qu. 3. huic similem Antiochenae Synodi can. 2. require superius.

Can. LXXVI. Is qui penitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obtulerit, vel in proteritum versus fuerit, doquent testimonium qui audiverit, & accipiat penitentiam. Et si continuo moriturus crediderit, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia, si supervixerit, admonetur a praedictis testibus penitentiam suam satisfactam esse; & subdatur statutis penitentiae legibus quamdiu Sacerdos, qui penitentiam dedit, probaverit.

Simile decretum edidit Conc. Arausicanum I. can. 2. Subito obtulit, prout statutum est baptizari aut penitentiam accipere potest, si voluntatis praeterita testimonium, aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu. Hoc idem statuit Leo Papa Magnus epist. 72. alias 91. ad Theodorum Foro-Juliensem. Juvat verba ipsa tanti Pontificis huc producere: His qui in tempore tante necessitatis, & in periculi urgentis instantia praesidium penitentiae & mox reconciliationis implorent, nec satisfactio interdenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiae Dei nec mensuras possumus imponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, nimirum Isaia 30. v. 15. & alibi: Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque DEI donis non debemus esse difficiles, nec acculantiam se lacrymas gemitumque negligere; cum ipsam penitentiam affectum ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis Deus penitentiam, ut respiciant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Unde oportet unumquemque Christianum conscientia sua habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vite sua constituat, quia periculose hac se conditione fragilitas & ignorantia humana concludit, ut ad paucorum horarum se reservet incertum; & dum passio plenior satisfactio indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligit, quo vix inveniat spatium vel confessionis penitentis, vel reconciliationis Sacerdotis. Perum ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est; ut & assit illis penitentia, & communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante posebant, sub praesentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debent, ut simul & penitentia & reconciliationis beneficium consequantur. Haecenus S. Leo Papa epist. 82. alias 91.

His accedit S. Thomas, qui 3. part. qu. 80. artic. 9. discrete docet, posse amentibus Eucharistiam administrari, si antequam inciderent in amentiam, devotionem erga istud Sacramentum habuerit, neque timeatur vomitus, aut execratio vel rejectio Sacramenti. Et utique allega-

allegatus can. 2. Concilii Arausicensis primi hoc similiter edicit: Amenibus etiam quaecumque pietatis officia conferenda sunt. Ex quo infert S. Thomas: Et ita est eis conferendum Eucharistia Sacramentum, quod est pietatis Sacramentum. Habetur canon hic Arausicensis, cap. qui recedunt, 26. q. 6. Iste quoque Carthaginensis ibid. cap. is qui penitentiam, apud Gratianum.

20. Can. LXXVII. Penitentes, qui in infirmitate sunt, Viaticum accipiant.

Hoc ipsum antea sanciverat magnum Nicenum Concilium can. 12. quo pariter statuitur, ut si post acceptum sacrum Viaticum convalescant, ad statum penitentium revertantur, & in illorum classe versentur, qui in sola oratione communicant. Quo idem intendit, qui proximus hic sequitur.

Can. LXXVIII. Penitentes, qui in infirmitate viaticum acceperint Eucharistiae, non se credant absolutos sine manus impositione si supervixerint.

Can. LXXIX. Penitentes, qui attente penitentiae leges exequantur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendatur.

Plura inferius huc pertinentia perquire ad Vasionensis Concilii can. 2. Vide hunc & tres sequentes Carthaginenses canones comprehensos in c. Sacerdos penitentiam 26. q. 7.

Can. LXXX. Omni tempore jejunii manus penitentibus a Sacerdotibus imponantur.

Can. LXXXI. Mortuos penitentes Ecclesiae efferant & sepeliant.

Can. LXXXII. Penitentes etiam diebus remissionis genuaflectant.

Can. LXXXIII. Pauperes & senes Ecclesiae plus ceteris honorandi sunt.

21. Can. LXXXIV. Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam & audire verbum Dei, sive gentilem, sive haereticum, sive Judaeum, usque ad Missam catechumenorum.

De consecrat. dist. 1. c. Episcopi nullum, Soli penitentem primae classis, qui sienes dicebantur, ingressu Ecclesiae arcebantur. Gentiles porro, Judaeique, & haeretici, licet ingressu non prohiberentur, excludebantur tamen post Missam catechumenorum & concionem Evangelicam, non tamen ad precum societatem admittentur, cum prohibita sit fidelibus sub excommunicationis poena talis societas, hujus Concilii can. 72. & 73. In Judaico dei templo pars quaedam erat, quae atrium gentium vocabatur: quo loco Gentibus consistere, atque adeo DEUM verum & unicum palam licebat adorare, seorsum tamen a Judaico populo, cujus erat in altero atrio statio separata. Unde Joann. 12. vers. 20. scriptum est: Erant autem quidam Gentiles ex iis, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Laodicea Synodi can. 6. ita sancit: Non permittitur haereticis, ut in domum Domini ingrediantur, si in haeresi permanent. Sed intelligendus est secundum praescriptum hujus Carthaginensis Concilii, quo prohibetur precum societas cum haereticis, quemadmodum etiam vetatur haereticorum intra Ecclesiasticum templum consistentia post catechumenorum Missam; sed eis assistere permittitur in statione catechumenorum antequam mysticum Sacrum inchoetur, donec jubeantur voce Diaconi, quicumque non communicant, pedem efferre & prodire foras.

22. Can. LXXXV. Baptizandi nomen sum dent & diu abstinentia vini & carnis, ac manus impositione crebra examinati baptizentur.

Baptizandi ex quo nomen suum dederant, a reliquis catechumenis discernentur, & Competentium nomine designabantur, atque seorsim catechizabantur, & orationibus, manus impositionibus crebris, jejunisque assistebant, sicut seorsim preparabantur ad Baptismum suscipiendum appetente Paschate, aut Pentecoste.

Can. LXXXVI. Neophyti (sic dicebantur recens baptizati) aliquandiu a lautioribus epulis, & spectaculis, & conjugibus abstineant.

Atque ita Baptismum adultorum districtior vivendi ratio & praecedebat, & comitabatur, c. Neophyti, de consecr. dist. 5.

Can. LXXXVII. Catholicis, qui causam suam, sive justam, sive injustam, ad iudicium alterius fidei iudicis provocat, excommunicatur.

Can. LXXXVIII. Qui die solemnibus, praetermissis solemnibus Ecclesiae conventu, ad spectacula vadit, excommunicatur. Capit. qui die solemnibus, de consecr. dist. 1.

23. Can. XC. Omni die Exorcista energumenis manuum imponant.

Cap. omni die, de consecr. dist. 5. Multiplices observata olim usitatae manuum impositiones in Ecclesia: 1. in Confirmationis seu chrismatis Sacramento ab Episcopo. Quod Sacramentum in Actibus Apostolorum non alio, quam manuum impositionis nomine exprimitur. Reliquae fere omnes in Ecclesia consuetae manuum impositiones, hujus Concilii canonibus significantur; etenim consecratio Episcoporum per manuum impositionem designatur hujus Concilii can. 2. Tertia item, in consecratione Sacerdotum, can. 3. Quarta, in Diaconorum ordinatione, can. 4. Quinta super penitentibus publicis in diebus jejuniorum per Presbyteros Ecclesiae adhibitis orationibus, meminit can. 8. Sexta supra etiam penitentes solo die, quo publice in Ecclesia reconciliabantur, expleto tempore penitentiae praestituto, ad quam requirebatur manus per Episcopum impositio, etiam post Episcopum Sacerdotes quoque manus imponebant, mentio sit can. 78. quemadmodum etiam can. 3. Concilii Carthaginensis, vulgo dicti secundum. Septima in Virginum consecratione, quae a solo sebat Episcopo, can. 12. Carthaginensis hujus Concilii: praetereaque can. 13. Chalcedonensi. Octava manuum impositionis quotidianae a Sacerdotibus supra Competentes faciendae mentio sit can. Carthaginensi 85. Nonae denique manus impositionis per Exorcistas super energumenis diebus singulis faciendae, agitur mentio isto ipso can. 90. Porro manus impositio, a quocumque faciendae, seu adhibenda erat, semper cum oratione adungebatur, dicente Augustino, lib. 3. de Baptismo cont. Donat. cap. 16. Quid est enim aliud manus impositio nisi oratio super hominem.

Can. XCI. Pavimenta domorum Dei energumeni verant.

Can. XCII. Energumenis in domo Dei assistentibus vitium quotidianum per Exorcistas opportuno tempore ministraretur.

Can. XCIII. Oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipienda sunt.

Cap. oblationes dissidentium, dist. 90. Huc spectat Matth. 5. 23. Si offers manus tuas ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet &c.

Can. XCIV. Eorum qui pauperes opprimunt, dona a Sacerdotibus refutanda.

Cap. eorum qui, dist. 90. Notatu dignus canon circa illos, qui securos se existimant a restituendi obligatione, his quibus injuriam fecere, dum factam, & inane pietatis, & magnificentiae gloriam sibi siveque profapiae aucupantur, sacella suis armis stemmatibusque insignia extruendo, aut ministeria nova exigendo sub reservatione perpetui jurispatronatus ex corralis injuste pecuniis. His convenit pulcherrimum Ecclesiastici 34. vers. 23. effatum: Dona iniquorum non probat Altissimus: nec respicit in oblationes, nec in multitudinem sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.

25. Can. XCV. Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium neccatores excommunicentur.

Cap. qui oblationes, 13. qu. 2. His suffragatur Vasionense Concilium, can. 4. & Arelatense secundum, c. 47. & Matisonense primum, can. 4.

Can. XCVII. Qui religiosis feminis preponendus est, ab Episcopo loci probetur.

Cap. qui religiosis, 18. q. 2. Ideoque Gregorius XV. Papa in Bulla quae incipit: Inscrutabili, declarat non posse Confessarios, sive faculares, sive regulares deputari ad audiendas Monialium, etiam Regularibus exemptis subditarum, confessiones, nisi postquam ab Episcopo loci fuerint approbati, ac idonei iudicati. Quod idem confirmatur per Bullam Clementis X. anni 1670. qua decernit, Regulares ad audiendas subjectarum sibi Monialium confessiones egere quo ad istud speciali Episcopi approbatione.

Cap. CIV. testatur de habitu religioso viduarum, quae se obsequio Dei & Ecclesiae devoverunt: de voto perpetuo perennis continentiae, dicens:

Si qua